

188552
III / 2

De Vincentii Bellovacensis excerptis Graecis

scripsit Leo Sternbach.

(Contin. e vol. VI. p. 401—406).

II.

Quae sequitur adnotatio, Latinos sylloges Vaticanae fontes proponit ex editionibus haustos, adiunctis Vincentii discrepantiis, ut quae interpretis Graeci contextum reddant. Contemplatione autem digna est scripturae varietas Vincenziana, siquidem haud semel memoriam a vulgata diversam deprehendimus, quamquam cavendum, ne lectiones a Vincentio cogitate et consulto¹⁾ inventae ad excerptorum codices referantur. Auget haec res quaestionem nostram, cum campus in conspectum veniat, in quo studia late excurrere possint. Adhuc enim tantummodo Tibulli editores Lachmanno praeeunte (cf. praef. p. VI) Vincentii excerpta diligentius tractarunt,²⁾ si Woelflinum excipis, qui uberes fructus ad Caecilii Balbi (cf. p. 51 sqq.) et Publilii Syri (cf. p. 21 sq. 37. 41)³⁾ recensiones e scriptore nostro percepit.⁴⁾

* * *

¹⁾ Cf. n. 30. 39. 47. 49. 55. 57. 62. 82. 94 cl. 43. 45. 81.

²⁾ Cf. Mueller praef. p. III sqq., VI sq., Baehrens p. XII sqq. Accuratus quaestionem retractarunt Richter, de Vincentii Bellovacensis excerptis Tibullianis (Bonnac 1865), Woelflin, eine neue Handschrift des Tibull, Philol. vol. XXVII (1868) p. 152 sq., Protzen, de excerptis Tibullianis (Gryphisw. 1869), Mueller, über die handschriftliche Ueberlieferung des Tibullus im Mittelalter, N. Jahrb. für class. Philol. vol. XCIX (1869) p. 63—77 (cum supplemento Francken ibid. p. 207 sq.), Menczke, die Pariser Tibull-Excerpta, Rhein. Mus. vol. XXV (1870) p. 369—392 et 452 sq.

³⁾ Adde České mus. vol. VI p. 408 n. 8. — E. Woelflini collectioneis pendent Ribbeckius (Scaen. vol. II² p. 309 sqq.), Friedrich (Berl. 1880), Meyer (Lips. 1880).

⁴⁾ Subsicivo studio 'Speculum quadruplex' coluerunt Keller et Holder ad Horatium (cf. vol. II 2 praef. p. XIII), in Petronii editione Buecheler (cf. praef. p. XXVI sqq.), in Suetonio Roth (cf. praef. p.

1) = Terentius Heautontim. 805 sq.

nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
quam invitus facias.

Vinc.: siet] sit || quam] dum (si = εἰν Sp. h. V 73;
cf. Burlaeus cap. CVII p. 342: nulla res tam facilis
est, quin sit difficilis, si invite fiat).

2) = Horatius Epist. I 16, 52

oderunt peccare boni virtutis amore,
[oderunt peccare mali formidine poenae].

Vinc. versum uncis saeptum repetit Sp. d. IV 106, nec
tamen Sp. h. VI 68; eundem adgnoscunt nonnulli Ho-
ratii codices (cf. Keller edit. vol. II p. 258 sq. et Epi-
legom. p. 670), sed interpolationem verba: tu nihil
admittes in te formidine poenae (v. 53) arguunt,
quaes ratio Aldum Manutium non fugit.

3) = omnis sapiens liber, omnis stultus ser-
vus, quemadmodum apud Ciceronem Paradox. Stoic.
V lemma effert *Vinc.* et nostro loco et Sp. d. V 58
et Sp. h. VI 19 cf. praeterea Sp. d. V 8 omnis
sapiens liber est et omnis stultus servus
et IV 118 (cl. Sp. h. V 28) Stoicorum sententia
fuit — omnes sapientes esse liberos (libe-
ros esse Sp. h.) et omnes stultos servos. Alia
Ciceronis est memoria: ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πάς
ἄφρων δοῦλος [solum sapientem esse liberum
et omnem stultum servum], quamquam non-
nulli libri (cf. Moser ad Paradox. p. 209 sq. et Hal-
mius in Orellii edit. vol IV² p. 752) Vincentii con-
textum commendant: ὅτι πάντες οἱ σοφοί ἐλεύθεροι,
πάντες δὲ οἱ μωροὶ δοῦλοι [omnes sapientes libe-
ros esse et stultos omnes servos] cf. a) Cicero
Academ. II 44, 136 postremo (scil. sapientem esse)
solum civem, solum liberum? insipientes

XXXIII sq.), in Gellio Hertz (cf. vol. II praef. p. XL sq.); cf. insuper Schenkl, die Excerpte aus den Briefen des Symmachus in dem Speculum historiale des Vincentius Bellovacensis, Zeitschr. f. d. österr. Gymn. vol. XI (1860) p. 412 sqq., Leo, Anecdoton Lugdunense eclogas e tragoediis Senecae continens (Commentationes in honorem Buecheleri et Useneri, Bonnae 1873) p. 38 sqq., Giambelli, Rendiconti ctc. (cf. C. Mus. fil. vol. VI p. 402 n. 2) vol. II 2 (1886) p. 169 sqq. et 173 sqq. (de nonnullis Plinii Secundi et Ciceronis eclogis). Non satisficit Boutaric, Vincent de Beauvais et la connaissance de l' antiquité classique au XIII^e siècle (Paris. 1875 = Revue des questions historiques vol. XVII p. 5—57).

omnes peregrinos, exsules, servos furiosos? — Plutarchus Vit. Cat. Min. LXVII p. 792 C περιῆλθεν ἡ ζήτησις εἰς ταῦτα δὴ τὰ παράδοξα καλούμενα τῶν Στωϊκῶν, τὸ μόνον εἴγα: τὸν δραμὸν ἐλεύθερον, δούλους δὲ τοὺς φαύλους ἀπαντας, Laertius Diogenes VII 1, 121 (τὸν σοφὸν) μόνον ἐλεύθερον, τοὺς δὲ φαύλους δούλους, — b) Ambrosius Epist. I n. 37 (Patr. Lat. XVI p. 1130 C) quae sententia magno a philosophis fluctuata atque iactata est disputationis molimine, dicentibus quia **omnis** sapiens liber, omnis autem insipiens serviat, Comment. in Epist. I ad Corinth. (ibid. vol. XVII p. 232 C) sicut et veteribus placuit, qui **omnes** sapientes liberos appellantur, imprudentes autem omnes servos, Philo Judeus περὶ τοῦ πάντα σπουδαίου εἶναι ἐλεύθερον § 1 vol. II p. 444 M. ὁ μὲν πρότερος λόγος ἦν ἡμῖν, ὡς Θεόδοτε, περὶ τοῦ πάντα δοῦλον εἶναι φαῦλον, ὡς καὶ διὰ πολλῶν καὶ εἰκότων καὶ ἀληθινῶν ἐπιστωσάμεθα. Οὗτοι δὲ ἐκείνου συγγενής, ὄμοπάτριος καὶ ὄμομήτριος ἀδελφὸς καὶ τρίτον τινὰ δίδυμος, καθ' ὃν ἐπιδείξομεν, ὅτι πᾶς ὁ ἀστεῖος ἐλεύθερος.

4) = Ps.-Seneca (Martinus Dumiensis) de formula honestae vitae II 4

prudentis proprium est examinare consilia et non cito facili credulitate ad falsa prolabi.

5) = Terentius Adelph. 386 sqq.

istuc est sapere, non quod ante pedes modo st videre, sed etiam illa quae futura sunt prospicere.

Vinc.: istuc] istud (= Sp. h. V 73) || non modo quod ante pedes (metri compages servat Sp. h.; aliter Buriaeus p. 344: istud est sapere, non solum quod ante pedes modo est videre, sed etiam ea quae futura sunt prospicere).

6) = Publilius Syrus 123 (Scaen. vol. II p. 320 Rabb.
discipulus est prioris posterior dies.

Vinc.: discipulus—prioris] legitur, quod discipulus prioris est cf. Č. Mus. fil. vol. VI p. 408.

7) = Ovidius Trist. II 266
nil prodest, quod non laedere possit idem.

8) = 'Caecilius Balbus' Paris. p. 41 n. 41 (inter Socratis dicta)

orientē sole consilium, occidente convivium cogitato.

Vinc.: cogitato] recurrit Sp. d. IV 96 (= n. 51 infra) et Sp. h. III 58, attamen interpres lectionem 'cogitator' reddere videtur, quae etiam apud Burlaeum cap. XXX p. 126 varietate 'cogitandum' significatur cf. insuper Seneca Epist. LXXI 1 consilium nasci sub diem debet. (Alii noctem consiliis maxime inservire putarunt cf. ad context. Graec. n. 51 cl. Onosandro de imper. offic. I 4 ἐν νυκτὶ γαρ ὡς τὰ πολλὰ ψυχῆς ἡρεμούσης στρατηγοῦ γνώμῃ τελειοῦται).

9) = Dionysius Cato Dist. I 18, 1

cum fueris felix, quae sunt adversa, caveto.

10) = Ovidius A. A. I 84

qui que aliis cavit, non cavet ipse sibi.

Vinc.: cavit] cavet (contra metri leges; recta scriptura occurrit Sp. h. VI 111).

11) = Claudianus de laud. Stilich. II 326 sq.

plus est servasse repertum
quam quae sisse novum.

Vinc.: repertum] quae situm (fortasse propter Claudian. in Rufin. II 50 sq. im̄perium tanto **quaesitum** sanguine, tanto **servatum**). Mendum repetit Sp. h. XVII 101, in contextu Graeco (τὰ ὕπτα) pluralis numerus innui videtur, quocum cf. Ovidius A. A. II 13 non minor est virtus quam quaerere **parta** tueri, — Poet. Lat. Min. vol. III p. 238 (Baerens) v. 32 acrius ad petimus nova quam iam **parta** tenemus, — Sallustius Iug. XXXI 17 maius dedecus est **parta** amittere quam omnino non paravisse.

12) Anonymus (ap. Vincent.)

spernere mundum, spernere nullum, spernere
sese,
spernere se sperni, quattuor haec bona sunt.

Vinc. lemma 'versificator' et hic et V 130 adponit; eadem ratione n. 67 auctor designatur, ubi itidem disticha comparent; hexametri 'versificatori' tribuuntur IV 126. 145 et V 113:

- a) Vir bone quid curas res viles, res perituras,
 nil profecturas, damno quandoque futuras?
 Nemo diu mansit in culmine, sed citot transit.
 Est brevis atque levis in mundo gloria
 quaevis;
 qui fuit hic imus, illic erit ordine primus.
 Quid lucri refert, qui mundo totus inhaeret?
- b) Cur homo, qui cinis es, per avaritiam
 sepelis aes?
 Heri cur heros, aeris qui non eris haeres?
 Quando sepultus eris, quicunque sepultor
 es aeris,
 dici saepe putes, tu qui sub marmore putes!
 non hodie quod heri, novus haeres imperat
 aeri.
- c) Ne sis securus hodie vel cras moriturus.
 Intus sive foris est plurima causa timoris.
 Cunctis sis horis hominis memor interioris.⁵⁾

13) = Cassiodorus Var. I Ep. 13 (Patr. Lat. vol. LXIX p. 518 A)

animus enim dolosus non arbitrium se-
 quitur imperantis, sed suas potius ex-
 plicat voluntates.

Vinc.: enim om. || arbitrium sequitur imperantis]
 sequitur imperantis arbitrium (nec tamen Sp.
 h. XXI 49) || potius om. (exhibit Sp. h.)

14) = Horatius Carm. III 2, 13

dulce et decorum est pro patria mori.

15) = Valerius Maximus V 1 Ext. 2

qui (scil. Pisistratus, Atheniensium tyran-
 nus, quae lectio pro 'qui' comparet in epitoma
 Guelferbytana I), cum adolescens quidam
 amore filiae eius virginis accensus in
 publico obviam sibi factam osculatus
 esset, hortante uxore, ut ab eo capitale
 supplicium sumeret, respondit: 'si eos,
 qui nos amant, interficiemus, quid his
 faciemus, quibus odio sumus?'

⁵⁾ Similes versus de contemptu mundi et vanitate vitae hu-
 manae condiderunt S. Columbanus (Patr. Lat. vol. LXXX p. 285 sqq.),
 S. Anselmus (ibid. vol. CLVIII p. 687 sqq.), S. Bernardus (ibid. vol.
 CLXXXIV p. 1307 sqq.).

Vinc.: Atheniensium] Athenensis || interficie-
mus] occiderimus (interficiimus Sp. h. III 18
cum Γ aliusque Valerii libris cf. Kempfius p. 389).

16) = Ps.-Seneca de moribus 34

pacem habebis cum hominibus, cum vitiis
bellum.

Vinc.: habebis] habeto (etiam Sp. h. VIII 102; cf.
Publil. Syr. Append. 45 p. 368 Ribb.).

17) = Fulgentius Mythol. II 7 p. 676 (Mythogr. Lat.
ed. Staveren)

sapientes viri maiorem cum vitiis quam
cum inimicis pugnam gerunt.

18) = Seneca de benef. VI 3, 4

(istud quod suspicis, quo te divitem ac
potentem putas,) quamdiu possides, sub
nomine sordido iacet: domus est, servus
est, nummi sunt: cum donasti, benefi-
cium est.

Vinc.: (istud quod suspicis) illud || divitem ac
potentem] divitem) || nomine sordido] sordido
nomine || cum] cum autem. — Quae lectionis discre-
pantiae recurrunt in Sp. h. VIII 108.

19) = Seneca Phaedr. 593 sq.

intrepida constent verba: qui timide rogat
docet negare.

Vinc.: intrepida] rogantis autem intrepida || qui]
nam qui. — Metri rationes observat Sp. h. VIII 114.

20) = Publilius Syrus 233 p. 330

ingénuitatem laédas, cum indignum roges.

Vinc.: laédas, cum] laedit, qui || roges] rogit. Quo-
cum contextu interpres Graecus vocem εὐεργέτημα con-
iunxit, videlicet ad dictum, quod apud Vincentium se-
quitur, delapsus: **beneficium** vero dat is, qui celeriter
dat (Publil. Syr. 235). Ambigi vero potest, utrum in-
dignum pro masculino habuerit (cf. Friedrich ad Publil.
J 4 p. 170 cl. H 29) an phrasin indignum benefi-
cium significaverit, de qua cf. Cicero Lael. XX 76
atque in omni re considerandum est, et quid
postules ab amico et quid patiare a te impe-
trari, XIII 44 (cl. Donato ad Terent. Andr. 544) haec

igitur lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis
honesta petamus, Dionysius Cato Dist. I 31, 1 quod
iustum est petito vel quod videatur **honestum**.

21) = Seneca de benef. II 11, 2

qui dedit beneficium taceat, narret qui
 accepit.

Vinc.: qui—taceat] taceat qui beneficium dedit
 (= Sp. d. IV 50 et Sp. h. VIII 107).

22) = Seneca de benef. III 15, 4

qui dat beneficia deos imitatur, qui repe-
 tit feneratores.

Vinc.: (= Sp. h. VIII 108): deos] deum || feneratores]
 foenerator est, quae varietas memoratu digna est;⁶⁾
 de forma deum cf. Senecae Monit. n. 10 p. 18 Woelf-
 fin (de mor. 47) quid est beneficia dare? imitari
deum cum notis nostris ad Gnomol. Vatic. 53 ('Wiener
 Studien' vol. IX — 1887 — p. 199 sqq.) et Haas, de L.
 Annaei Senecae philosophi monitis (Monach. 1878) p. 37.

23) = Seneca de benef. IV 40, 5

qui nimis cupid solvere, invitus debet, qui
 invitus debet, ingratus est.

Vinc. (= Sp. hist. VIII 108): nimis] nimis cito || cupid
 solvere] solvere cupid || qui] et qui.

24) = Seneca Epist. LXXXI 18

ingratus est, qui beneficium reddit sine
 usura.

25) = Seneca Epist. LXXXI 14⁷⁾

saepe quod datur exiguum est, quod sequi-
 tur ex eo, magnum.

26) = Terentius Adelph. 216

pecúniam in locó neglegere máximum
 interdúmst lucrum.

⁶⁾ Cf. Rossbach, Symbolae ad Senecae filii libros recensendos et emendandos (Vratisl. 1887) p. 3 n. 10: 'plurima in eius spe-
 culis ex omnibus Senecae libris excerpta sunt, sed praeter naturales quaestiones nondum ita ut par-
 est a viris eruditis exhibita'.

⁷⁾ Etiam Sp. h. VIII 134 n. 24 (Epist. LXXXI § 18) ante n. 25
 (§ 14) conlocatur.

Vinc. (sub Senecae nomine; at cf. Sp. d. IV 246 et Sp. h. V 73): neglegere] negligere.

27) = Seneca Epist. LXXXI 28

quaeris, quid sit, quod oblivionem nobis acceptorum faciat? cupiditas accipendorum.

Vinc. (= Sp. h. VIII 134): quid—faciat] quid nobis faciat oblivionem acceptorum.

28) = Seneca Controv. VII 5

nihil est puerō teste certius; nam ad eos annos pervenit, ut intelligat, et non ad eos, quibus fingat.

Vinc.: nam] nam et (= Sp. d. V 12 <sive n. 87 infra> et Sp. h. VIII 112).

29) = Cicero de Leg. III. 2, 5

qui modeste paret, videtur qui aliquando imperet dignus esse.

Vinc.: qui—esse] qui aliquando imperare dignus esset (= Sp. d. IV 40 et Sp. h. VI 28, quo loco praeterea 'quod' pro 'qui' legitur), quemadmodum etiam nonnulli codices deterioris notae apud Ciceronem exhibent. Interpres ex suo 'alii' (ἄλλοι) expressit, attamen 'aliquando' ipsius Ciceronis verba nostrae sententiae et praemissa (qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est) et subiuncta (itaque oportet et eum qui paret sperare se aliquo tempore imperaturum et illum qui imperat cogitare brevi tempore sibi esse parendum) vindicant.

30) = Quintilianus Inst. Orat. IV 1, 12

(sed ego cum auctoritate summorum oratorum magis ducor, tum pertinere ad causam puto, quidquid addicentem pertinet,) cum sit naturale, ut iudices iis, quos libenter audiunt, etiam facilius credant.

Vinc. (= Sp. h. IX 122): cūm sit naturale] naturale est (ad loci communis normam) || iis] his (quam scripturam Quintiliani liber Ambrosianus firmat) || etiam facilius] facilius etiam.

31) = Claudianus de consul. Mall. Theod. 227 sqq.

dis proximus ille est,
quem ratio, non ira movet; qui, facta re-
consilio punire potest. [pendens,

Vinc. (= Sp. h. XVII 101): dis] diis || (qui] quae Sp. h. perperam). Locum non bene intellexit versionis Graecae auctor!

32) = Symmachus Epist. II 29 (Patr. Lat. vol. XVIII p. 185 C)

pro optimis viris quisquis intervenit, non
magis illorum videtur iuvare commodum,
quam suum commendare iudicium.

33) = Publilius Syrus 257 p. 333

iudex damnatur, cum nocens absolvitur.

34) = Ps.-Seneca de moribus 111

alteri semper ignoscito, tibi ipsi numquam.

35) = Seneca de clem. I 2, 2

tam omnibus ignoscere crudelitas est
quam nulli.

36) = Ovidius Am. III 4, 43 sq.

si sapis, indulge dominae, (vultusque
severos
exue,) nec rigidi iura tuere viri.

Vinc.: exue] erue (nec tamen Sp. h. VI 110). Sententiam in arctum coëgit interpres.

37) = Seneca Troad. 291

qui non vetat peccare, cum possit. iubet.

38) = Seneca de remed. fortuit. II 3 (sive Publil. Syr. Append. 100 p. 373)

stultum est timere, quod vitare non possis.

Vinc. et hic et Sp. d. V 114 nec non Sp. h. VIII 109 Sencae contextum (= Ps.-Seneca de mor. 39) servat (vitare non possis] vitari non potest Publil.), quamquam voce 'morieris' ex praecepti communis ratione caret, quae quidem apud Senecam gnomae nostrae praemittatur.

39) = Cicero pro Marcello IV 12

ipsam victoriam viciisse videris, cum ea,
quae illa erat adepta, victis remisisti.

Vinc. colorem gnomicum inlatus eo adductus est, ut et hic et Sp. h. VI 30 contextum ita commutaret: ipsam victoriam viciſſe videtur, qui ea, quae illa adepta est, victis remisit.

40) = Ovidius Metam. X 544

in audaces non est audacia tuta.

41) = Ovidius Metam. X 586

audentes deus ipse iuvat.

42) = Publius Syrus 209 p. 328

honesta turpitudo est pro causa bona.

Vinc. est — bona] est mori pro bona causa cf. Friedrich ad Publil. H 5 p. 161 sq.

43) = Seneca Epist. LXXI 7

Socrates (qui totam philosophiam revocavit ad mores et hanc summam dixit esse sapientiam, bona malaque distinguere, 'sequere' inquit 'illos, si quid apud te habeo actoritatis, ut sis beatus, et te alicui stultum videri sine;) quisquis volet, tibi contumeliam faciat et iniuriam, tu tamen nihil patieris, si modo tecum erit virtus.

Vinc. (= Sp. h. III 58): Socrates — sine] dicebat autem Socrates || quisquis] quisque (neque aliter optimi Senecae libri praebent; 'quisquis' ex interpolatis codicibus post alios recepit Hense vol. III — L. 1898 — p. 230, 16) || tu om. (non Sp. h., ubi 'faciet' pro 'faciat' legitur).

44) = Sidonius Apollinaris Epist. III 7 (Patr. Lat. vol. LVIII p. 500 C)

garrulo non respondere convicium est.

Vinc. (= Sp. d. IV 170 et 172) adgnoscit particulam 'non' prave ab interprete omissam (convicium] vitium IV 172).

45) = Seneca Epist. XXVIII 2

querenti cuidam Socrates ait: quid miraris nihil tibi peregrinationes prodesse, cum te circumferas.

Vinc. querenti — ait] Socrates quaerenticiuidam, cur mutatio locorum nihil sibi prodesset ad

depositionem vitiorum, ait. Scilicet in Vincentii excerpto (= Sp. h. III 58) praeterea Epist. CIV 7 respicitur: Socraten querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes profuissent, respondisse ferunt: non immerito hoc tibi evenit: tecum enim peregrinabaris.

46) = Seneca Epist. XXIV 17

pauper fiam: inter plures ero. exul fiam:
ibi me natum putabo, quo mittar; alliga-
bor: quid enim? nunc solutus sum? ad hoc
me natura grave corporis mei pondus ad-
strinxit. moriar: hoc dicis, desinam aegro-
tare posse, desinam alligari posse, desi-
nam mori posse.

Vinc. (= Sp. h. VIII 123, ubi contextus purior comparet):
ibi me natum] ubi me notum (at cf. γεννητόν με
ἐξεισεις et Sp. h.) || quo mittar om. || solutus] soli-
citus (non Sp. h.; cf. λέλυμα;) || grave—pondus
gravi—pondere (non Sp. h.; adgnoscit interpres:
βαρεῖ—δύχει;) || adstrinxit] astrinxit || hoc dicis om.
|| desinam alligari posse, desinam mori posse]
alligari posse, mori posse (quae varietas ineptam
interpretis versionem procreavit; genuinam sententiam
repetit Sp. h.).

47) cf. Seneca Epist. XI 1 verecundiam, bonum
in adulescente signum, vix potuit ex-
cutere.

Vinc. locum communem: verecundia in adolescen-
tia bonum signum est suppeditat, qui ad Senecæ
textum magis se applicat Sp. d. V 13 et Sp. h. VIII
118: verecundia bonum in adulescente sig-
num est.

48) = Seneca Phaedr. 876

alium silere quod voles primus sile.

Vinc.: voles] vis (= Sp. d. IV 170, nec tamen Sp. h.
VIII 114). — Versio Graeca lectionem ‘quom’ (quoniam,
cum) pro ‘quod’ innuere videtur, sed ἀλλοι ante σιγᾶν
procul dubio librarii culpa excidit.

49) = Hieronymus Comment. in Eccles. (Patr. Lat. vol.
XXIII) p. 1037 B (ad verba: tempus tacendi
et tempus loquendi: III 7)

Pythagoricos reor, quorum disciplina est tacere per quinquennium et postea eruditos loqui, hinc originem sui traxisse decreti.

Vinc. (= Sp. d. IV 92. 170, Sp. h. III 26): Pythagoricos reor, quorum Pythagoreorum ex sententiae communis ratione, qua ductus Vincentius etiam particulam: hinc originem sui traxisse decreti neglexit || (postea] post Sp. h. III 26). — Interpretis semidocti sedulitas *τριπλίαν* pro lectione ‘quinquennium’ (= πεντετάχυ) invexit, quae quidem omni suspicione vacet cf. Plutarchus de curios. 9 p. 519 C, Lucianus Hermot. 48, Vit. auct. 3, Laertius Diogenes VIII 1, 10, Philostratus Vit. Apollon. I 14, 2 (cll. 1, 2 et Suid. s. v. Ἀπολλώνιος Τυχεύς), Clemens Alexandrinus Strom. V 11 p. 686 Pott. (Patr. Gr. vol. IX p. 101 B), Jamblichus de vit. Pythag. XVII 72, 74, IX 90, Eusebius Hist. Eccl. IV 7 (Patr. Gr. vol. XX p. 317 B), Epiphanius in Dielsii Doxographis p. 587, 7 et 590, 13, Simplicius ad Epictet. Enchir. XXXIII 2, Procopius Epist. CLVII p. 595 Herch., Joannes Philoponus in Aristotel. de anim. (Commentar. in Aristotel. ed. Acad. Berol. vol. XV) p. 117, 5 sqq. (Hayduck), Tzetzes Chil. VIII 280, — Seneca Epist. LII 10, Sidonius Apollinaris carm. XV (Patr. Lat. vol. LVIII p. 713 C), Servius ad Vergil. Aen. X 564. Eodem spectant ἔτη πολλὰ apud Jamblichum XVI 68, XXXII 225 et πολυετής αὐτὴν apud Joannem Hierosolymitanum Vit. Joann. Damasc. XXIV (Patr. Gr. vol. XCIV p. 465 A), annique silentes' apud Claudianum de Mallii Theod. cons. 157, quamquam alii traditionem paululum inflectunt cf. Taurus apud Gellium N. A. I 9, 3 sqq. tum qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat et tempus certum tacere, non omnes idem, sed alios aliud tempus pro aestimato capti solleteriae. Is autem qui tacebat quae dicebantur ab aliis audiebat, neque percontari si parum intellexerat neque commentari quae audierat faserat; sed non minus quisquam tacuit quam **biennium** et Apuleius Flor. II 15 non in totum aevum tamen vocem desuescebant nec omnes pari tempore elingues magistrum sectabantur, sed gravioribus viris **brevi spatio** satis videbatur taciturnitas modificata; loquaciores enim vero ferme **in quinquennium** velut exilio

vocis puniebantur. Mire tamen cum interprete Graeco concordat Hippolytus Philosophom. I 2 ap. Dielium, Doxogr. p. 558, 3 sq. (Patr. Gr. vol. XVI p. 3025) καὶ ὑπέμενε σωπῶν ὅτε μὲν ἔτη τρία ὅτε δὲ πέντε καὶ μαγθάγων.

50) = Sallustius Catil. I 2

et priusquam incipias consulto et ubi consulueris mature facto opus est.

Vinc. (= IV 26, V 19. 24, Sp. h. VI 33): et om. || (et priusquam] prius autem quam Sp. d. V 24) || et] at (= IV 26, V 24, om. V 19 et Sp. h.) || mature facto opus est] mature opus facto est(mature opus est facto IV 26, V 19. 24, Sp. h.)

51) cf. ad n. 8 supra.

52) cf. Č. Mus. fil. vol. VI p. 408. Rem enarrant praeterea Laberius 72 sqq. (vol. II p. 291 Rabb.), Cicero Tusc. V 39, 114, de Fin. V 29, 87, Gellius X 17, 1, Plutarchus de curios. 12 p. 521 E cf. insuper Himerius III 18; Hieronymus ad Abigaum LXXVI 2 (Patr. Lat. vol. XXII p. 689) et contra Jovin. II 9 (ibid. vol. XXIII p. 298 C).

53) = Seneca de matrim. vol. III p. 434 Hase (ex Hieronymo contr. Jovin. II 49 Patr. Lat. vol. XXIII p. 281 A, quem exscripsit Hugo de S. Victore 'de Nuptiis' I 1 ibid. vol. CLXXVI p. 1205 C)
Sextus (v. l. Xystus)⁵⁾ in sententiis 'adulter est' inquit 'in suam uxorem amator ardentior'.

Vinc. lemma: 'Sextus Pythagoricus in sententiis' praemittit, ipse autem ex Hieronymo hausit cf. Sp. h. XVI 75. Alterum Hieronymi testimonium (in Ezech. VI Patr. Lat. vol. XXV p. 180 B: pulchre in Xysti Pythagorici sententiolis dicitur: 'adulter est uxoris propriae amator ardentior') innuitur Sp. h. VI 96. Contextum Graecum μοιχὸς τῆς οὐντοῦ γυναικὸς πᾶς ὁ ἀκόλαστος una cum Rufini versione: adulter etiam propriae uxoris omnis impudicus suppeditat Elter Gnomic. I p. XVI (Sext. n. 231).⁹⁾

⁵⁾ Cf. Sexti sententiarum recensiones Latinam Graecam Syriacas coniunctim exhibuit Joannes Gildemeister (Bonnae 1873) p. LIV sq.

⁹⁾ Sententia μοιχός ἐστι τῆς οὐντοῦ γυναικὸς πᾶς ὁ ἀκόλαστος etiam Clitarcho adsignatur cf. n. 71 p. XLI Elter; ex Hieronymi memoria perperam Ps.-Publillii trimeter: a d ú l t e r e s t u x ó r e m q u i a m a t a r d é n t i u s (p. 96 v. 9 Friedrich) concinnatus est.

54) = Ovidius Her. V 101 sq.

nulla reparabilis arte
laesa pudicitia est.

Vinc. laesa pudicitia est nulla reparabilis arte praebet, attamen interpres Graecus vulgarem memoriam (= Sp. h. VI 107) expressit.

55) cf. Valerius Maximus IV, 3, 6 (de Fabricio Luscino)

locupletem illum faciebat, non multa possidere, sed modica desiderare.

Vinc. (= Sp. h. VI 124): locupletem illum faciebat] locupletem facit aliquem. Videlicet sententiam communem ex Valerii loco effecit, de qua cf. Dionysius Halicarnassensis Antiqu. Rom. V 48 πλούσιος οὐχ ὁ πολλὰ κεντημένος ἐστίν, ἀλλ᾽ ὁ μικρῶν δειγμάτων et Joannes Chrysostomus Homil. II de Lazaro (Patr. Gr. vol. XLVIII p. 982) οὐδὲ πλούσιος ἐστιν ἐκεῖνος ὁ πολλὰ περιβληγμένος, ἀλλ᾽ ὁ μῆτ πολλῶν¹⁰⁾ δειγμάτων, (οὐδὲ πένης ἐστιν ἐκεῖνος ὁ μηδὲν κεντημένος, ἀλλ᾽ ὁ πολλῶν ἐφιέμενος) cl. Censorino de die nat. I quisque non quanto plura possidet, sed quanto pauciora optat, tanto est locupletior. Addatur nota ad n. 99 infra.

56) = Galfridus (Ganfredus) de vino salvo poetria nova v. 1830 sq.¹¹⁾

liber is est, vitii qui non est servus. Abundat, cui satis est quod habet; pauper, qui plus cupit.

Vinc. (= Sp. d. IV 15): vitii qui non est servus] vitii qui non inservit cf. v. 1122 p. 927, ubi eandem lectionis varietatem Leyser profert [abundat] abundans. — Ceterum Galfridus sententias illas ex Seneca repetit, nisi forte verba: 'hic mos | est Senecae' ad extremam definitionem spectant cf. a) Epist. XCII 31 nemo liber est, qui corpori servit cll. Epist. LI 8 quae sit libertas, quaeris? nulli rei ser-

¹⁰⁾ Definitio paululum inflectitur Homil. XXI in Epist. ad Ephes. (vol. LXII p. 151) πλούσιος γάρ οὐχ ὁ πολλῶν χρημάτων δεόμενος καὶ πολλὰ περιβληγμένος, ἀλλ᾽ ὁ μη δενδεν γρείαν ἔχων et Homil. II in Epist. ad Philipp. 5 (ibid. p. 196) (οὐκ ἔστιν, οὐκ ἔστι πένης ὁ μηδὲν ἔχων, ἀλλ᾽ ὁ πολλῶν επιθυμῶν) οὐκ ἔστι πλούσιος ὁ πολλὰ κεντημένος, ἀλλ᾽ ὁ μηδενὸς δεόμενος cf. etiam Isidorus Pelusiota Epist. V n. 450 (ibid. vol. LXXVIII p. 1588 C) οὐ γάρ τὸν πλοῦστον ἔχειν, ἀλλὰ τὸ μῆτ δειγμάτων πλοῦστος ἔστι μέγιστος,

¹¹⁾ P. Leyser, Historia poetarum et poematum medii aevi (Halil 1721) p. 964.

vire, Nat. Quaest. III praef. 14 liber autem est, qui servitutem effugit sui, Monit. 104 p. 24 servos puta, quos imperantes multis milibus videris, si cupiditatibus servient (magis hoc facit dictum apud Auctorem ad Herennium IV, 17, 24 liberis est existimandus, qui nulli turpitudini servit cf. praeterea Clitarchus 86 οὐκ ἔστιν ἐλεύθερον εἶναι κρατούμενον ὑπὸ παθῶν cum Elteri nota p. XLII); — b) Epist. II 5 quis sit divitiarum modus, quae-ris? primum habere quod necesse est; proximus, quod satis est ill. I 4 non puto pauperem, cui, quantumcumque superest, satis est, XIV 15 is maxime divitiis fruitur, qui minime di-vitiis indiget, Monit. 1 sq. p. 18 (de mor. 45 sq.) quae sunt maximae divitiae? non desiderare divitias. Quis plurimum habet? qui minimum cupit (plane consentit Cicero Paradox. VI 3, 51 con-tentum suis rebus esse maximae sunt certissimaeque divitiae); — c) Epist. II 5 qui plus cupit, pauper est.

57) = Claudianus in Eutrop. II 50

sed quam caecus inest vitiis amor?

Vinc. (= Sp. d. IV 106. 109. 121, V 18, Sp. h. XVII 101):
sed] heu (loci communis natura flagitante).

58) = Publilius Syrus 22 p. 311

amare et sapere vix deo conceditur.

Vinc. (= Sp. d. IV 121): deo] a deo.

59) = Ovidius Her. I 12

res est solliciti plena timoris amor.

Vinc. scripturam solliciti et hic adgnoscit et Sp. d. IV 113 et Sp. h. VI 107, interpres lectionem sollicita et reddidit.

60) = Tibullus III 4, 7 sq.

somnia fallaci ludunt temeraria nocte
et pavidas mentes falsa timere iubent,
quae memoria (= *Vinc.* Sp. d. V 73) liberius versa
est in contextu Graeco.

61) cf. ad n. 4.

62) cf. Cicero Cat. Mai. II 4 quo in genere est in
primis senectus, quam ut adipiscantur

omnes optant, eandem accusant adeptam:
tanta est stultitiae inconstantia atque
perversitas.

Vinc. (= Sp. h. VI 16) ad sententiae communis normam verba ita refinxit: tanta inest (hominibus add. Sp. h.) stultitiae inconstantia atque perversitas, quod omnes eam ut adipiscantur exoptant et eandem adepti accusant.

63) = Cicero Tusc. III 30, 73

est enim proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

Vinc. (= Sp. d. IV 121, V 49, Sp. h. VI 25): est enim proprium stultitiae] stultitiae proprium est (stultitiae est proprium Sp. d. V 49) || oblivious suorum] suorum oblivious.

64) = Ovidius A. A. I 717

quod refugit, multae cupiunt; odere quod instat.

Vinc. (= Sp. h. VI 111): multae] multi (ex florilegii ratione).

65) = Terentius Adelph. 98 sq.

homine īperito nūm quam quicquam iniūstiūt,
qui nīsi quod ipse fēcit nil rectūm putat.

Vinc. metri compagibus ruptis haec praebet: quid homine imperito iniustius, qui nihil rectum putat, nisi quod ipse fecit. Quam sententiam versio Graeca expressit, nisi quod interpreti lectio: homine imperito nihil iniustius (= Sp. h. V 73 cl. Burlaeo cap. CVII p. 342) obversata est.

66) = Caesar B. Civ. II 27, 2

quae volumus, et credimus libenter; et
quae sentimus ipsi, reliquos sentire spe-
ramus.

Vinc. (= Sp. h. VI 5): quae — libenter] quae volumus libenter credimus (quod volumus, et libenter credimus Sp. h., qua scriptura interpres utitur) || sentimus ipsi] ipsi sentimus || reliquos] alios quoque.

67) = 'Versificator' apud Vincentium (cf. ad n. 12):

Unde superbit homo, cuius conceptio culpa,
nasci poena, labor vita, necesse mori?
Vana salus hominis, vanus labor, omnia vana.
Inter vana nihil vanius est homine.
Post hominem vermis, post vermem fitciniſ
heu, heu!
Sic redit in cinerem gloria nostra suum.

68) = Horatius S II 5, 32 sq.

gaudent praenomine molles
auriculae.

Vinc. (= Sp. VI 69): praenomine] p̄ae nomine.

69) = Dionysius Cato Dist. II 16

nec te collaudes nec te culpaveris ipse:
hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.

70) = Plinius Epist. XVI 9

pravum malignumque est, non admirari
hominem admiratione dignissimum.

Vinc.: malignumque] atque malignum (ac malignum Sp. d. V 69 et Sp. h. X 67).

71) = Seneca Epist. XVIII 14

(delegabo te ad Epicurum. ab illo fiet numeratio) inmodica ira gignit insaniam.

Vinc. (sub Epicuri nomine: fr. 484 p. 305 Us.) praebet: ira immoderata insaniam gignit, quam sententiam¹²⁾ ex Seneca delibatam esse docet Sp. h. IV 40: Seneca quoque de elegantioribus dictis Epicuri multa in libris suis excerpit, quorum ista sunt, quae subiecimus. Ex Vincentio hausit Burlaeus cap. LXIV p. 276, ipse Seneca Epicuri dictum aliquoties in rem suam convertit, explanat, variat, aliter conceptum adhibet cf. de ira II 36, 5 **irasci** senegant non minus quam **insanire** furiosi, III 21, 5 hic **furor** (quid enim aliud voces?) Romanos quoque contigit, III 34, 2 inde, inquam, vobis

¹²⁾ Horatium Epist. I 2, 62 ira furor brevis est et Apollonium Tyanicum Stobaei Flor. XX 49 (48 Hense = Epistologr. p. 126 n. 86 Hercher) τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄνθος μανία confert Epicuri editor clarissimus, aptius adsimilari possunt Ps.-Phocylides 63 θυμὸς ἐπεργόμενος μανίην ὀλούφρου τίκτει, Nilus capit. paraen. 61 (Patr. Gr. vol. LXXIX p. 1253 C) κόλαζε τὸν θυμόν· μανίας γάρ ἔστι πατήρ τὸ μέτρον ἔξερχόμενος, de octo vitiis (ibid. p. 1453 C) ὅργη μῆτηρ μανίας ὑπερέσσεται.

ira et insania est; — II 36, 5 nulla celerior ad insaniam via est; multi itaque continuaverunt irae furorem... Aiace in mortem egit furor, in furorem irae, Epist. XVII 15 ita est, mi Lucili, ingentis irae exitus furor est, — Herc. fur. 1218 sqq. nondum tumultu pectus attonito carens immutavit iras quodque habet proprium furor in se ipse saevit, — de ira I 1, 2 quidam itaque esse a sapientibus viris¹³⁾ iram dixerunt brevem insaniam.¹⁴⁾

¹³⁾ Secundum Plutarchum Reg. et imp. apophth. p. 199 A n. 16 (= Stob. Flor. XX 68) Cato Maior τὸν ὄργιζόμενον ἐνόμιζε τοῦ μανιάν γρόνῳ διασέρειν, cuius sententiae formam Latinam ita reddunt codices Parisini PS apud Woelflinum ad Senecae Monita p. 26 (cf. etiam Ps.-Seneca de mor. 106 cum Woelflini observatione Philol. vol. IX — 1854 — p. 681): inter iratum et insanum nihil nisi dies interest; alter semper insanit, alter dum irascitur. Nec tamen dubito, quin Seneca vetustiorem fontem resperxerit, quem Cato ex more suo (cf. Sprawozdania z posiedzeń Akademii Umiejętności za r. 1895 — Cracoviae 1896 — p. 64 sq. et 'Eos' vol. III — 1896 — p. 240) perinde usurpavit ac Themistius Or. I p. 7 B et XXII p. 269 D ἐγὼ — οἴμαι τὴν ὄργην μανίαν ὀλυγοχρόνου εἰναι, quem a Choricio Gazaeo fr. 81 p. 297 (Boissonade) εἴ της τὴν θυμὸν μανίαν ὀλυγοχρόνου εἰναι: expilatum esse equidem haud facile credam. Ante Catonem similiter locutus est Philemon fr. 184 μανίαν μεθα πάντες, ὄπειται ὄργιζωμεθα, irae et insaniae notiones praeter Epicurum coniunxerunt Euenus fr. 5 (vol. II p. 270 Bergk) πολλάκις ἀνθρώπων ὄργην νόον ἐξεπάλυμεν | κρυπτόμενον, μανίας πούλιδ χερείστερον. Melanthius fr. 1 p. 760 (cum Nauckii adnotatione ad fr. adesp. 390 p. 913) πηδῶν ὁ θυμὸς τῶν φρενῶν ἀγωτέρω | τὰ δεινὰ πράσσει, τὰς φρένας μετοικίσας. Cleaenetus fr. 2 p. 807 λύπη γάρ ὄργη τ' εἰς ἓνα ψυχῆς τόπον | ἐλθόντα μανία τοις ἔχοντας γίγνεται, Tragicus incertus fr. 175 p. 875 ὁ θυμὸς αὐτὸν τῶν φρενῶν ἐξήρη ἄνω et in Vita Aesopi p. 47, 5 sq. Westerm. (= Αἰσώπου παραπέδεις n. 18 ap. H. Schenkelium, Florilegia duo Graeca — Vindob. 1888 — p. 16 et Gregorius Nazianzenus Carm. I 2 n. 30, 8 in Patr. Gr. vol. XXXVII p. 909, de quo testimonio cf. 'Curae Menandreae' p. 28 sive Rozprawy Wydz. filol. Akademii Umiejętności vol. XVII — 1892 — p. 195), — Plato Leg. XI p. 934 D μανίονται μὲν οὖν πολλοὶ..., διὰ θυμοῦ πακῆρη φύσις (cl. IX p. 869 A ἐὰν δ' ἄρα τις εἰς τοσούτους ἀκρατῆς θυμοῦ γέγνηται πρὸς τοὺς γεννήσαντας, ὥστε μανίας ὄργης τῶν γεννητέρων ταλαμῆσαι κτενῖαι τινα, ante Catonem fortasse etiam Euenius iram dixit 'initium insaniae' (apud Ciceron Tusc. IV 23, 52: p. 183 Vahlen, n. 547 p. 133 Baehrens), tum a Plutarcho de garrul. 4 p. 508 D μανία γάρ ὅμοτοιχος μὲν ἡ ὄργη κατ' ἐνίους poetam antiquum significari verisimile est (cf. 'Cur. Menandr.' p. 28 n. 1, ubi adiungi potest Clemens Alexandrinus Paedag. III 1 p. 250 Pott. τὸ δὲ θυμὸν θηριώδες δὲ πληξίον μανίας οἶκε).

¹⁴⁾ Praeter Horatium Epist. I 2, 62 (cf. n. 12) apophthegma adhibent Macrobius Saturn. IV 2, 9 ira, qua e brevis furor est, Basilius Magnus Homil. X (advers. irat.) 1 (Patr. Gr. vol. XXXI p. 356 C) μανία τις ἐστιν ὀλυγοχρόνιος ὁ θυμός, Joannes Chrysostomus Homil. XLVIII (in Joann.) 3 (Patr. Gr. vol. LIX p. 273) ὄργης καὶ μανίας μέσον οὐδέν, ἀλλὰ πρόσκαιρός ἐστιν δαιμων, Catonis dictum proxime adtingunt Cicero Tusc. IV 36, 77 ira vero, qua e quam diu perturbat animum dubitationem insaniae non habet et Ps.-Hie-

72) = Seneca Monit. n. 97 p. 23 (= de mor. 98)

quietissimam vitam mortales agerent (agerent homines in terris de mor.), si haec duo (duo haec de mor.) verba de rerum natura (e natura rerum de mor.) tollerentur, meum et tuum.

Vinc. (= Sp. d. V 77) haec habet: quietissime namque (quoque V 77) viverent homines, si duo verba de medio tollerentur, meum scilicet (om. V 77) et tuum. — Ps.-Senecae verba numeris adstringere alii aliter conati sunt e. gr. quiéta vita iis qui meum et tollunt tuum (Bothe), meum ét tuum tollas: quanto vives diutius (Ribbeck Append. sent. 73 p. 371), hómines si meúm tuumque tollerent, quiescerent (Friedrich p. 89 et 94) cf. etiam Haas p. 26.

73) = Publilius Syrus 215 p. 329

homo totiens moritur, quotiens amittit suos.

Vinc. (= Sp. d. IV 139): totiens — quotiens] toties — quoties (Sp. d. IV 139 'domo' pro 'homo' operarum vitio excusum est).

74) = Lucanus III 118 sq.

ferrum mortemque timere
auri nescit amor.

75) cf. Č. Mus. vol. fil. VI p. 407.

76) = Seneca Controv. II 14

luxuriosus adulescens peccat, senex luxuriosus insanit.

Vinc. (= Sp. d. V 14 et Sp. h. VIII 112): luxuriosus adulescens] adulescens luxuriosus.

77) = Plinius H. N. VII 11 (sect. 9), 48

praeter mulierem pauca animalia coitum novere gravaida.

78) = Ovidius Her. IV 75

ronymus (Pelagius) ad Demetriad. cap. XVIII (Patr. Lat. vol. XXX p. 33 D) quid autem iracundo furor suus confort, quem saevissimus exagatum stimulis conscientiae ita ab omni consilio ac mente deturbat, ut dum irascitur, insanire credatur?

sint procul a nobis invenes ut femina
compti.

79) = Cicero (?)¹⁵⁾

osculum est pars adulterii.

80) = Dionysius Cato Dist. I 10 sq.

contra verbosum noli contendere verbis:
sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.

Vinc. verbosum] verbosos, — at cf. II 11, 1 adversus **notum** noli contendere verbis et IV 34, 1 contra **hominem iustum** prave contendere noli.

81) = Prudentius Psychomach. 285 sqq. (Patr. Lat. vol. LX p. 44)

desine grande loqui, frangit Deus omne
superbum:
magna cadunt, inflata crepant, tumefacta
premuntur,
disce supercilium deponere, disce cavere,
(ante pedes foveam, quisquis sublime minaris.
Pervulgata viget nostri sententia Christi)
scandere celsa humiles et ad imare dire feroce.

Vinc. (= Sp. d. IV 175 et Sp. h. XVII 102) ante pedes
— Christi om., ex qua ratione scriptura ‘scandere’
manavit.

82) cf. Cicero de Off. I. 40, 144 (bene Pericles, cum
haberet collegam in praetura Sophoclem
poetam iique de communi officio conve-
nissent et casu formosus puer praeteri-
ret dixissetque Sophocles ‘o puerum pul-
chrum, Pericle!’) ‘at enim praetorem, So-
phocle, decet non solum manus, sed etiam
oculos abstinentes habere’.

¹⁵⁾ Admodum suspecta est Vincentii inscriptio: ‘Tullius’,
quapropter eo inclino, ut lemma ex sententia quae sequitur: idem
in Tuscul. lib. 3 (immo IV 33, 70): flagitii principium est
(ut ait Ennius) inter cives nudare corpora falso effectum
esse ipsique Vincentio definitionem illam vindicandam esse iudicem,
quae quidem glossae marginalis speciem eodem modo praestet atque
eiusdem capituli verba: ‘gula est luxuria fomentum, sed
praecipue vinum, pulchritudo, cantus, ocius, cultus
divitiae’. Osculi voluptarii naturam eodem fere modo perstringit
Ps.-Augustinus (Aelredus Rhievallensis) de amic. 6 (Patr. Lat. vol.
XL p. 835) perversi et turpes et hoc bono sua quod a m-
modo flagitia condire nituntur, ipsum osculum tanta
turpitudine foedantes, ut sic osculari nihil sit aliud
quam adulterari; ceterum cf. Plautus Cœcyl. 58 qui vōlt
cubare, pāndīt saltum sāviis cl. Casin. 825.

Vinc. locum communem effecit: praetorem decet non solum manus et linguam, sed et oculos habere continentes, Ciceronis vero locum ei obversatum esse docet Sp. h. III 42 cum Pericles et Sophocles ad colloquendum de consultationibus publicis simul consedissent et casu pulcher adolescens transiret, ait Sophocles: ‘o, Pericle, pulchrum puerum’! Respondit Pericles: praetorem decet non solum manus et linguam, sed et oculos habere continentes. Quod autem utrobique comparet supplementum: et linguam manifesto ex Plauto Mil. Glor. 563 sqq. adsumptum est: hominem servōm suos | domitōs habere op̄ortet oculos ét manus | orationemque cf. insuper Polybius IX 13, 1 sqq. διὸν χρῆ μηδενὸς ἀφορούστειν ἐν τοῖς τοι- αύταις ἐπιβολαῖς τοὺς ἡγουμένους· ἔστι δὲ ἀργὴ μὲν τῶν προει- ρημένων τὸ σιγάν ναὶ μήτε διὰ χαρὰν παραδόξου προφανο- μένης ἐλπίδος μήτε διὰ φύσον μήτε διὰ συνήθειαν μήτε διὰ φύλαστοργίαν μεταδιδόναι μηδενὶ τῶν ἐκτός. Hinc igitur ‘et lingua m’ repetit Burlaeus cap. XXXIX p. 170, quippe qui Vincentium usurpaverit, non adgnoscunt reliqui apophthegmatis testes: Valerius Maximus IV 3, Ext. 1 Pericles, Atheniensium princeps, cum tragoe- diarum scriptorem Sophoclem in praetura collegam haberet atque is in publico officio una districtus praetereuntis ingenui pueri formam impensionibus verbis laudasset, in- temperatiam eius increpans dixit, praetori non solum manus a pecuniae lucro, sed etiam oculos a libidinoso aspectu continentes esse debere, Plutarchus Vit. Peric. VIII 8 p. 156 Ε καὶ ποτε τοῦ Σοφοκλέους, δὲ συστρατηγῶν ἐξέπλευσε μετ’ αὐτοῦ, παιδα- ναὶ δὲ ἐπαιγνέσαντος, ‘οὐ μόνον’ ἔφη ‘τὰς χεῖρας, ὡς Σοφοκλεῖς, δει καθημάρας ἔχειν τὸν στρατηγόν, ἀλλὰ καὶ τὰς ὄψεις, Stobaeus Flor. XVII 19 (18 Hense) Ηερικλῆς Σοφοκλέους εὐπρεπῆ παιδα δεικνύντος αὐτῷ, ‘ὡς Σοφοκλεῖς’, εἰπε, ‘τὸν σώφρονα στρα- τηγὸν οὐ μόνον τὰς χεῖρας, ἀλλὰ καὶ τὴν ὄψιν ἔχειν παρ’ ἑαυτῷ δει’. — Ps.-Plutarchus Vit. X Orat. IV p. 838 F (ubi Isocrates falso Periclis partes agit) Σοφοκλέα δὲ τὸν τρα- γικὸν θεατάμενος ἐπόμενον ἐρωτικῶς παιδὶ εἰπεν· ‘οὐ μόνον δει, Σοφοκλεῖς, τὰς χεῖρας ἔχειν παρ’ ἑαυτῷ, ἀλλὰ καὶ τὸν οὐφελαμούς’.

83) = Append. Sent. 96 p. 373

potentiorum amico amicitia est perdena
aut veritas,

quae octonarii forma e contextu prosaico edolata est: si in clientelam felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. (Lusit praeterea Ribbeckius: poténtum amico aut ámittenda amicitia est aut véritas, aliter Friedrich p. 94: ád potente[m] périt amici aut véritas aut grátia).

Vinc. sententiam prosaicam (*felicis hominis] et hominis felicis*) profert.

84) = Lucanus Pharsal VIII 493 sq.

exeat aula

qui vult esse pius.

Vinc.: aula] aulam.

85) cf. p. Č. Mus. fil. vol. VI p. 408 sq.¹⁶⁾

86) = Terentius Hec. 201

itaque ádeo uno animo omnés socrus
<omnis suas> oderunt nurus.

Vinc. (= Sp. h. V 73): itaque adeo et omnis suas om.

87) cf. ad n. 28.

88) = Seneca Epist. LXI 2

ante senectutem curavi, ut bene viverem,
in senectute, ut bene moriar.

Vinc. (= Sp. h. VIII 129): in senectute] in illa. — Falsam lectionem ‘iuravi’ pro ‘curavi’ expressit interpres.

89) = Seneca Epist. XIV 1

multis enim serviet, qui corpori servit.

Vinc. (= Sp. h. VIII 119): enim om. (serviet] servit i. e. δούλεύει. Sp. h. cf. Publil. Syr. Append. 166 p. 379 némo liber ést, qui imperio suímet servit cörperis, ubi codicis Bernensis b varietas: qui corpori servit ex Seneca Epist. XCII 33 fluxit cf. ad n. 56 supra).

90) = Hieronymus contr. Jovin. II 13 (Patr. Lat. vol. XXIII p. 316)

¹⁶⁾ In Publili Syri versu (670), quem ibid. p. 409 n. 10 tractavi, nunc pro ‘concipi’ coniecturam ‘cónligit’ proponere invati.

Chaeremon Stoicus, vir eloquentissimus, narrat de vita antiquorum Aegypti sacerdotum, quod omnibus mundi negotiis curisque postpositis semper in templo fuerint et rerum naturas causasque ac rationes siderum contemplatis sint, numquam mulieribus se miscuerint, numquam cognatos et propinquos, ne liberos quidem viderint, ex eo tempore quo coepissent divino cultui deservire, carnibus et vino semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus et vertiginem capitum, quam ex parvocibopatibantur, et maxime propter appetitus libidinis, qui ex his cibis et ex hac potionē nascuntur; pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, et si quanto comedebant, tūsum pariter hysopum sumebant in cibo, ut escam gravorem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant, verum et ipsum parum propter nauseam et asperitatem gustus leniendam.

Vinc.: vir eloquentissimus om. || Aegypti sacerdotum] sacerdotum Aegypti || fuerint — sint — miscuerint] fuerunt — sunt — miscuerunt || et om. || ne] nec || viderint] viderunt] || deservire] mancipari || semper abstinerint] se semper abstinerunt || et vertiginem — patiebantur om. || appetitus] appetitum || ex hac] hac || nascuntur] nascitur || et si quando — decoqurent om. || oleribus] pulmentis || verum et ipsum] et hoc || leniendam] liniendam. — Quam memoriam Graece ita reddidit interpres, ut verba ‘qui ex his cibis et hac potionē nascitur’ et ‘raro’ negligeret, tum Charemonis loco Stoicos poneret; at cf. Porphyrius de abstin. IV 6 p. 236, 11 sqq. Nauck (ed. 2) τὰ γοῦν κατὰ τοὺς Αἴγυπτίους ἵερέας Χαιρήσιων ὁ Στωϊκὸς (fr. 4 ap. C. Muellerum, Fragm. Hist. Gr. vol. III p. 497 sq.) ἀφηγούμενος, οὓς καὶ φιλοσόφους ὑπειλήφθαι φησι παρ’ Αἴγυπτίους, ἐξηγεῖται ως τόπου μὲν ἔξελέξαντο ἐμφιλοσοφῆσαι τὰ ἱερά· πρός τε γὰρ τὴν ὅλην ὅρεξιν τῆς θεωρίας συγγενές ἦν παρὰ τοῖς ἐκείνων ἀφιδρύμασι διαιτᾶσθαι Ἀπειπάμενοι δὲ πᾶσαν τὴν ἄλλην ἐργασίαν καὶ πόρους ἀνθρωπίνους, ἀπέδοσαν ὅλου τὸν βίον τῇ τῶν θεών τε θείων θεωρίᾳ καὶ θεάσει Σεμνοὺς δὲ αἰτοὺς παρεῖχεν καὶ τὸ διυτεπίμικτον, οἵ γε παρὰ μὲν αὐτὸν τῷ λεγό-

μενιν ὀγκειῶν τὸν καιρὸν οὐδὲ τοῖς συγγενεστάτοις καὶ ὁμοφύλοις ἐπειγόντο σχεδόν Δίαιτα δὲ λιτή καὶ ἀψελῆς· οἶνου γόροί μὲν οὐδὲ ὅλως, οἱ δὲ ὄλιγιστα ἐγεύοντο, γεύρων αἰτιώμενοι· βλάβες καὶ πλήρωσιν κεφαλῆς εμπόδιον εἰς εὑρεσιν, ἀφροδισίων τε ἔφασαν αὐτὸν ὀρέξεις ἐπιφέρειν. Ταῦτη δὲ καὶ τῶν ἀλλων εὐλαβῶν εἰχον, ἀρτοὶς μὲν οὐδὲ ὅλως ἐν τοῖς ὀγκείαις χρώμενοι· εἰ δέ ποτε μὴ ὀγκεύοιεν, σὺν ὑσσωπῷ κόπτοντες ἡσθιον· τὸ πολὺ γόρον αὐτοῦ τῆς δυνάμεως καθαιρεῖν ἔφασαν τὸν ὑσσωπον. Ἐλαῖον δ' ἀπειχόντο <οἱ> μὲν ὡς τὸ πολύ, οἱ πλειστοι δὲ καὶ παντελῶς· εἰ δέ που μετὰ λαζάνων χρήσαιντο, παντελῶς ὄλιγῷ καὶ δύσον παρηγορήσαι τὴν αἰσθησιν.

91) = Horatius Epist. I 10, 24

naturam expelles furca, tamen usque recurret.

Vinc. expelles furca, tamen] expellas furca licet (nec tamen Sp. h. VI 68) errore proclivi (cf. Obbarius ad Horat. l. c. vol. II p. 46 et Joannes Saresberiensis Polycr. III 8 (Patr. Lat. vol. CXCIX p. 489 C) usus enim, ut ait quidam (Seneca Troad. 633? cf. etiam Append. Sent. 180 p. 388 Rabb.), aegre dediscitur et consuetudo alteri naturae (cf. Otto, d. Sprichwörter und sprichwörtlichen Redensarten der Römer — L. 1890 — p. 90) assistit, quam licet expellas furca, tamen usque recurret. Scripturam ‘tamen’ manifesto comprobat Juvenalis XIII 239 sq. tamen ad mores natura recurrit] damnatos, fixa et mutari nescia, firmo talo stat etiam vox ‘furca’ (cf. Otto p. 151), quam λαθραίως (propter v. 25 et mala per rumpet furtim fastidia victrix?) vertit interpres.

92) = Varro Sent. 53 p. 267

illum elige eruditorem, quem magis mireris in suis quam in alienis.

Vinc.: illum] illum quidem (non Sp. h. VI 59) || elige eruditorem] eruditorem elige (non Sp. h., ubi alterum ‘in’ deest).

93) = Varro Sent. 67 p. 268

nil magnificum docebit, qui a se nil dicit.

94) cf. Quintilianus Inst. Or. I 3, 12 mores quoque se inter ludendum simplicius detegunt, modo nulla videatur aetas tam infirma, quae non protinus quid rectum pravumque

sit discat, tum vel maxime formanda, cum simulandi nescia est et praecipientibus facillime cedit.

Vinc. sententiam communem effinxit (= Sp. d. V 12 et Sp. h. IX 121): aetas vero (om. Sp. h., quidem Sp. d.) hominis tum (tunc Sp. h., tunc vel Sp. d.) maxime formanda (formidanda perperam Sp. h.) est, cum simulandi nescia est ac praecipientibus (et praecipientibus Sp. h., principiantibus falso Sp. d.) facillime cedit (credit facillime Sp. h.). 95) cf. C. Mus. fil. vol. VI p. 406.

96) = Seneca Epist. LIII 11

magni artificis est clusisse totum in exiguo.

Vinc. (= Sp. h. VIII 128): clusisse] clausisse.

97) = Symmachus Epist. IV 59 (Patr. Lat. vol. XVIII p. 240 A)

in re aperta piget esse prolixum.

98) = Ps.-Seneca de mor. 99

quipaupertatem timet, quam timendus est.

Vinc.: timendus] timidus rectius cf. Seneca Monit. n. 100 p. 24 qui paupertatem timet, di boni, quam timidus est (ubi Senecae auctoritatem vindicat Haas p. 32), Lactantius Inst. VI 17 (Patr. Lat. vol. VI p. 694) nemo dubitat, quin **timidi** et inbecilli sit animi dolorem metuere aut egestatem. Itaque praestat trimeter Ps.-Publilianus: quam **timidus** est is, paupertatem qui timet a Bothio (post Gruterum v. 598 p. 25, ubi 'is' ante 'est' collocatur) effectus Ribbeckii (Append. Sent. 74 p. 371 qui paupertatem non timet, .timendus est) et Friedrichii (p. 89 et 94 heu quam est timendus, qui paupertatem timet) commentis. — Hypsaei dictum in Stobaei Flor. XCV 20 θερόπευς τὸ φοβεῖσθαι, καὶ οὐ φοβήσῃ πενίαν explanant Seneca Nat. Quaest. VI 2, 2 si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda et Publius Syrus 598 p. 355 si níl velis timere, metuas ómnia, nec repugnat altera Hypsaei sententia, videlicet ab homine, qui in disputatione¹⁷⁾ adversari partes defen-

17) Ad idem opusculum redire videtur ecloga Hypsaei nomine insignita apud Stobaeum Flor. XCVII 30 μὴ φεύγε πενίην. ἀλλ᾽ ἀ-

debat, prolata: Flor. XCII 10 ὁσπερ ἐπὶ χειρὸς τρεμούσης
χρυσίου εάνι τις θῆ. τρέμει, οὗτο καὶ ὁ πλούτος, εἰ φοβούμενη
καὶ συγκεχυμένη ἐπισωρεύοιτο ψυχῇ, συγκραδίνεται καὶ συμ-
περιπίπτει.

99) = Ps.-Seneca de mor. 46 (Monit. 2; cf. n. 56 supra)
quis plurimum habet? (is) qui minimum
cupit, unde manavit Append. Sent. 69 p. 370 quis
plurimum habet? is qui omnium minimum
cupit.

Vinc. nostro loco praebet: plurimum habet is qui
minimum cupit, sed Sp. d. V 76 cum Ps.-Seneca
concordat (is om.).

100) = Secundus philosophus apud Vincentium (= Sp.
h. X 71)

quid amicus? desiderabile nomen, homo vix
apparens, infelicitatis refugium, inde sinens
felicitas, unde ἐμφανῆς pro ἀφανῆς potius librarii quam
interpretis culpa inrepsisse patet. Ἄφανῆς recte exhibit
contextus Graecus apud Mullachium, Fragm. Philos. Gr.
vol. I p. 514 n. 11, e codice Parisino (*P*) et Gudiano
(*G*)¹⁸ concinnatus: τί ἐστι φίλος; 1) ζητούμενον δόγμα, 2)

κίτην. Οὐδεὶς γάρ ὅτι πέντε μετάλλαξεν, ἀλλ᾽ ὅτι θάνατος: οὐκ οὖν οὐδὲ πλούτος
ἢ βιοὶ ἐπινετώς, ἀλλ᾽ ὅτι δίκαιος, ubi Meinekii rationem vol. III p.
XXXVI οὐδὲ ὅτι (pro οὐδὲ) ex conjectura et ἐπινετός (pro ἐπινετώς) e codice A emendantis confirmat Moschionis praeceptum apud Elte-
rum Gnomic. II (Epicteti et Moschionis quae feruntur sententiae, L. 1892) p. 14 n. 25 (sive Epictet. ed. Schenkl p. 489), qui (cum Brink-
manno) non recte in voce μετάλλαξεν haerebat cf. Stobaeus Flor. XCIV
12 Διογένης, ὃντες δικαιος αὐτῷ τινος πενίαν μοχθηροῦ, ἔσῃ: θιὰ μὲν πενία
οὐδένα πάπωτε ετρεπθεῖσι μενον εἰδον, διὰ δὲ κακίαν πολλούς.

18) Mili praesto sunt insuper codices quattuor: Vaticanus (V)
742 (chart. in 4^o, s. XIV) f. 70v sqq. (Σεκούνδου πόρος Ἀνδριανόν), Mar-
cianus (M) Cl. XI n. XXIII (chart. in 4^o, s. XV) f. 171v sqq. (sine
inscriptione), Parisinus (P) 2991 A (chart. in 4^o, a. 1420 exaratus) f.
363v sqq. (Ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις Πινθαγορικοῦ Σεκούνδου Ἀθηναίου καὶ
προβοτίκου, ἡ ἡρωτήσθη παρὰ Ἀδριανὸν βασιλέων), Parisinus (P) 1292 (chart.
in 4^o, s. XV) f. 203v sqq. (Σεκούνδου Πινθαγορικοῦ Ἀθηναίου ἀποκρίσεις πόρος
τῆς τοῦ βασιλέων Ἀδριανὸν ἡρωτήσεις). Quae quidem testimonia in amici
definitione hunc apparatus criticum suggestunt: τί ἐστι φίλος om. M.,
ubi omnino singularum sectionum tituli desiderantur || 1) ζητούμενον ἀγαθὸν
II p. || 2) om. II p. || 3) ὀντεύρετον] δυσεύρητον PG (ubi ὀντεύρετον ex
connectura repperit Mullachius), ζητούμενον (ex 1) V || 4 et 5 sedes com-
mutant in II p. || 5 παραμύθιον] παραμύθια II p. || 5 sq. ἀπορίας παραμύθιον.
ἄκος τακτικῶν] ἀπορία τῶν παραμύθιων. κατάσκοπος (ex 7) τακτικῶν G,
παραθετος ἄγκων τακτικῶν V M || 6–10 om. II p. || 7 om. G. (cf. VII
9 p. 518 Mull. in hominis definitione) || 8 ἀνθρωπος ἀπατάληπτος] om.
G, δυσκατάληπτον εὑρημα V, δυσκάλυπτον εὑρημα M || 9 ὀντεύρετον] ὀν-
τεύτετον V, ὀντεύτετον G || οειμῆλιον] αγρητικον M a m. pr. || 10 απατά-
ληπτος] ἀπατάληπτος (ex 8) G, ἀπόμονος V, ἀπομονος M || εὐτυγία] ἐπι-
τυγία (V.M.)

Ἄγνθρωπος ἀφανής, 3) δυσεύρετον κτῆμα, 4) καταρφυγὴ δυστυχίας, 5) ἀπορίας παραμύθιον, 6) ἄκος ταλαιπωρίας, 7) κατάσκοπος βίου, 8) ἄγνθρωπος ἀκατάληπτος, 9) ἀνυπόστατον κειμήλιον, 10) ἀκατάληκτος εὐτυχία.

101) cf. Hieronymus Comment. in Osee III 10 (Patr. Lat. vol. XXV p. 905 A) quamquam et amor recipiat errorem pulchrumque sit illud Θεοφράστου quod Tullius magis ad sensum, quam ad verbum interpretatus est: τυφλὸν τὸ φιλοῦν περὶ τὸ φιλούμενον, id est, amantium caeca iudicia sunt.

Vinc. amantium caeca sunt iudicia inter Theophrasti dicta cf. etiam Sp. d. IV 121 Thophrasti (sic) sententia fuit amantium caeca esse iudicia et Sp. h. V 2 huius quoque sententia fuit amantium caeca esse iudicia. Vincentio sua debet Burlaeus cap. LXVIII p. 284, Vincentium vero ex Hieronymi auctoritate pendere, inde cognoscimus, quod Hieronymi errorem repetit, siquidem apophthegmatis fons est Plato Leg. V p. 731 Ε τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φιλῶν, ubi τὸ φιλοῦν pro ὁ φιλῶν adgnoscunt Plutarchus de adul. et am. I p. 48 E, de inim. util. 7 p. 90 A, 11 p. 92 E, quaest. Platon. 2 p. 1000 A, Galenus π. ψυχῆς παθῶν II vol. V p. 6 (Kuehn),¹⁹⁾ Theodorus Metochites Miscell. p. 358, 11 (Mueller) nec non Tzetzes Chil. VII hist. 103, qui sententiam in proverbium abiisse testatur aequa ac Schol. p. 942, 131 sqq. ed. Turic. et Mantissa Proverb. III 30 (Paroemiogr. Gr. vol. II p. 777).²⁰⁾

102) = Claudianus in Rufin. II 320 sq.

¹⁹⁾ Cf. Theocritus X 19 sq. τυφλὸς δ' οὖκ αὐτὸς ὁ Ηλοῦτος, | ἀλλὰ καὶ ὡφρόντιστος Ἔρως (ubi cf. Schol. p. 320 Ahreus), Theophylactus Simocatta Epist. 20 p. 769 τυφλώττουτι Τόχη καὶ Ἔρωτες, οἱ μὲν τὰς ἀληγόδονας, ἡ δὲ τὴν εὐδαιμονίαν εἰκῇ καὶ ὡς ἔτυχε παρεχομένη, 57 p. 779 (Hercher) οἱ δύναται γὰρ μὴ τυφλώττεν ἐρῶσα ψυχή, Nicetas Eugenianus V 219 Ἔρως δὲ τυφλός, οἱ γὰρ ὁ Ηλοῦτος μάνον (Archilocharus fr. 103, 1 sq., Sappho fr. 2, 11, Menander fr. 48, 1 sq.), — Horatius Sat. I 3, 38 sq. a matorem quod amicae | turpia decipiunt caecum vitia, Vitalis apud Baehrensum P. Lat. Min. vol. IV p. 150 v. 5 multos caecus amor cogit secreta fateri (Ovidius Heroid. IV 154, Propertius II 14, 18, Seneca Med. 591, Quintilianus Inst. Or. VI 2, 6). Alia est ratio in Theogoniae Orphicae versu (fr. 68 p. 180 Abel) ποιμαῖνων προπίδεσσιν ἀνόμητον ὥκην Ἔρωτα.

²⁰⁾ Perperam ὁ φιλῶν ex suo inculcavit Marquardt vol. I (L. 1884) p. 4, 18 (cf. Hense ad Stob. Flor. I 202 p. 158, 7 adn. crit.), variam scripturam τὸ φιλοῦν omnino neglexit Schanz in Platonis editione vol. XII 1 p. 130.

delicta fuere
nexus amicitiae.

Vinc. (= Sp. d. V 85 et Sp. h. XXVII 101): delicta]
multis delicta.

103) = Cicero Cat. Mai. XIX 68

quid enim stultius quam incerta procer-
tis habere?

